

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Em̄i Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I -- DE EXCUSATIONE A CHORO

D. An excusatio a choro, de qua in canone 420 § 1 n. 4, extendatur ad servitium paroeciae non capitularis.

R. Negative.

II - DE INDULGENTIIS LUCRANDIS

D. An confessarii, vi canonis 935, commutare possint visitationem ecclesiae determinatae, etiam ad lucrandas indulgentias *toties quoties* et *Portiunculae* nuncupatas.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 19 mensis Ianuarii, anno 1940.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*.

L. ☩ S.

I. Bruno, *Secretarius*.